

PROLEGOMENA

IN

*Disciplinas Jurium & Officiorum*  
METAPHYSICO-ANTHROPOLOGICA.

QUORUM

SPECIMEN PRIMUM

*Conf. Fac. Philos. in Acad Aboënsi.*

*Publico examini submitunt*

**FRANCISC. MICH. FRANZÉN,**

Hist. & Mor. Prof. Reg. & Ord., Academ. Svec.  
Octodecimvir.

ET

**JOSEPHUS AUGUSTUS HOECKERT,**

Stipend. Bilmark, Borealis.

In Auditorio Physico die XIX Dec. MDCCCVIII.

h. a. m. c.

---

ABO Æ,  
In Officina Frenckelliana.

16

## PROOEMIUM.

*Quicumque in tironibus erudiendis occupatus fuit, facile observavit, illos parum frugis inde capere, si nullo adhibito libro, solas prælectiones exaudiunt. Neque multum adjuvat, si omnia quæ auribus percipiunt, litteris ipsi mandant. Hoc enim plerumque & a rite intelligenda re, verba annotare festinantium animos distrahit, & scripta procreat, quæ, primum male composita, deinde eo pluribus sædatis vitiis, quo sæpius exseribuntur, non majori erunt discipulis utilitati, quam magistro laudi. Nihil autem vel illos attentiores & ad rem mente capiendam ac servandam aptiores, vel hunc de eo, quod præcipuum ejus & studium fit & præmium, profectu scilicet auditorum suorum in scientia quam tradit, certiore reddere potest, quam si, libro ab ipsis lecto, res quam continet, cum questionibus & objectionibus proponendis, tum commentariis & exemplis addendis, a doctore, scholasticam methodum cum academica conjungente, examinetur & illustretur.*

*In hunc igitur finem, non ut aliud fecisse videamur quam quod officii necessitas urget, hæc edere specimina audemus: quibus communem in disciplinas juris & officiorum ingressum describere conabimur; has ipsas e compendiis Cel. BOËTHII lectionibus academicis explicaturi. Quorum utrumque, præsertim vero recentius sive Ethices illud, quod novam & præclaram in principia honesti fundit lucem, multa quidem continet, quæ universam spectant rem moralem, ex alio tamen loco visa alioque consilio exposita, quam ut hanc illis a nobis interpretandis præmittere introductionem superfluum habere possimus. Quæ simul, præcipuorum de re morali Auctororum scripta, & quæ ad historicam illius cognitionem pertinent, discipulis nota reddendi, idoneam nobis dabit occasionem.*

---



Cap. I.

*De prima rei moralis notione, & quæ illam continent elementis.*

§. I. **M**oralis exoritur res, quando factum, quod simul & fieri & non fieri potuit, approbatur vel improbatur, utpote quod vel committi vel omitti aut debuit, aut licuit. Id quod simul vel fieri vel non fieri potest, *liberum* dicitur. Id quod debet agi vel non agi, *officium*, id quod licet, *jus* appellatur. Jurium & officiorum norma vocatur *lex*. Libertatem igitur & legem res moralis præsupponit. Reapse vero non existit ante imputationem: h. e. facti boni vel mali a libertate & lege derivationem.

- - - - - Our eyes  
Open'd we find indeed, ad find we know  
both good and evil.

Milton Par. Lost. IX v. 1068.

A

Mali

Mali & boni sensus nihil moralis continet, nisi accedat cogitatio, id vel sponte effectum, vel meritum esse. Duplex ideoque distinguitur malum & bonum; *physicum*, quod e naturæ necessitate oriundum, vel aversionem excitat vel appetitum; & *morale*, quod a libero arbitrio derivatum, vel vitio vertitur vel laudi. — Constat vero, unum in alterum posse mutari, intemperantiam e. c. in morbum. Confer mythos antiquos de origine mali.

Observetur ambiguitas vocabuli *moralis* in lingvis recentioribus cum adjective tum substantive usitati (*Moralisk*, *Moralitet*, *Moral*); nunc id quod in genere justum est & honestum, nunc a naturæ vi solutam & rationis imperio regendam vel personam vel actionem, nunc doctrinam de officiis & juribus, nunc rem ipsam quæ his continetur, nunc a jure cogente secretum jus conscientiæ, nunc ab externis virtutum simulacris distinctum ipsius animi sanctitatem, nunc consiliorum quæ quisque sequitur rationem, significantis. Videtis quæ exempli causa svecice composita sequuntur. Sokrates, en man af en högst *moralisk* Karakter, använde filosofin i synnerhet på människan, betraktad såsom en *moralisk* varelse. Han befridde Sophisterne, som upphäfdde all *moral*; och ehuru han icke uppättade något egentligt system: så står han likväl främst i historien om *moralen* såsom vettenskap. Utan att tydligen skilja emellan juridiskt och *moraliskt* rätt, lärde han likväl att en redlig man ger hvar och en sitt, han må kunna tvingas dertill eller ej. Äldre Moralister bödo blott lefnadsvishet och borg rlig dygd samt aktning för en föga *moralisk* religion; men Sokrates yrkade en sann *moralitet*, och sätte dess grund vid ett renadt begrepp om det högsts väsendet. Både i  
lära



lära och lefverne var han lika skild ifrån sina begge lärjungars ytterligheter, Antisthens öfverspända och Ariflippo alltiör slappa moral.

§. 2. Imputationis duæ sunt partes: una cum quid a quo sua sponte actum esse existimatur: altera cum hic eo ipso vel recte vel non recte egisse censetur. Respicit itaque imputatio & agentem & actionem. In agente ponitur cum *libertas* volendi & agendi, tum *legem* cognoscendi facultas. Actio vero & ab illius potentia pependisse, & lege vel prohibita vel præcepta esse intelligitur. Comparata igitur actione cum lege, atque observata utriusque aut convenientia aut pugna, *judicium* fertur: quo illa, vel mala vel bona declarata, auctori vel culpæ tribuitur vel laudi: ipse vero aut poena aut præmio dignus aestimatur. Involvit nempe *judicium* necessitatem *remunerationis*, illud ex mera idea in rem mutaturæ sensibilem, quatenus scilicet & agens & actio reales, h. e. sensui vel interno vel externis apparentes, ponuntur. Quo factum oritur postulatio, ut moralem bonitatem vel malitiam, physicum sequatur bonum vel malum.

"Råds, brottslige, den blixst jag sånder!  
Glåds, dygd, åt en belönings-dag'!  
Från jordens kryddbevuxna stränder,  
till punkterna der hon sig vånder,  
går skallet ut af samma lag.

Leopold.

§. 3. Quattuor itaque componitur elementis mundus ille moralis, in physico hocce, sensibus apparente cogitandus & efficiendus: *libertate* scilicet, *lege*, *judicio* & *remuneratione*. Quorum prima illa sunt conditiones, sine quibus altera hæcce fieri nequeant: his vero sublatis & jus naturæ, eoque fundata legislatio civilis, & morum castigatio, eique adjutura religio, omnem perderet vim & effectum.

Notatu forte dignum est, primos hos conceptus morales uno vocabulo suecico *Rätt* omnes fere indicari. Adjective enim & adverbialiter intellectum, medii cum fine & finis cum lege convenientiam, *libere* effectam significat, translata scilicet a lineis ad actiones *recti* notione. Ut substantivum autem, primum universam justii & honesti rationem, deinde illius quod cuique suum est disponendi facultatem, tum & legum systema & judicium consilium, postremo vel ipsam remunerationem designat. (Quæ, non omnia tantum, latinum etiam *juris* vocabulum valet). Videas exemplum: Catilina skulle låta mördra Cicero jemte en stor del af Senaten samt tända eld på Staden Rom, men träffade icke *rätt* sina mått och steg, utan blef i förtid upptäckt. Det oaktadt infann han sig i Rådet få oförfagd, som om hans gerningar och grundsatser varit fullkomligen *rätta*. Men då Ciceros tal, hvaruti han förebrådde honom ett uppenbart förakt af all *rätt* och sådana stämplingar, ått han länge sedan förverkat sin *rätt* till lifvet, gjorde ett så starkt som allmänt intryck på Senaten, fann han för godt att vika undan. Emedlertid blefvo hans medfvarne Lentulus och Cethegus gripne och öfverbevisade. Cæsar yrkade väl att de brottsligas aflifvande vore hvarken med statsklokheden eller med Romersk *rätt* enligt, helst Senaten

ej vore en *rätt*, som ägde att dömma öfver medborgares lif och död; men Catos stidiga yttrande bestämde Rådets beslut: och Consuln lät i grund deraf *afträta* dem i fängelset. Oaktadt en allmän röst, att desse misddådare skett fullkomlig *rätt*, blef likväl Cicero derföre efteråt förföljd och drifven i landsflykt.

## Cap. II,

### *De doctrinæ moralis definitione & divisione.*

§. 4. Data igitur per imputationem *re* morali, in principia illius *philosophia* moralis inquirat. Quæ & *practica* appellari solet: cum ex actione, libertatem & necessitatem simul involvente, ad fontem utriusque, in ipsa activitate agentis quærendum, pergat. A Theoretica autem *philosophia* ita jam distinguitur, ut cum hæc omnium, quæ *sunt* h. e. quæ *sciri* possunt, conditiones ex ipso subjecto sciente exquirat, illa omnium, quæ esse *debeant*, legem ex eodem petat subjecto, ea scilicet ut fiant postulante (a). Quæ philosophandi ratio etiam illis approbanda esse videtur, qui omnia e sensu derivant: nam ubi est sensus nisi

---

(a) Observes antiquam philosophiæ divisionem in Logicam (s. Dialecticam) Physicam & Ethicam. Confer ceterum WOLF, *Philosophia rationalis sive Logica*, Disc. Præf. C. 3 cum KANT *Critik der Urtheilskraft*, Einleitung. Quorum ille Oeconomicam etiam & Politicam, hic vero non, nisi Ethicam & Juris Naturæ disciplinam ad Philosophiæ Practicæ orbem refert. Vide Hujus *Rechtslehre* p. X sq.; *Ergänzungs-Blätter zur Allg. L. Zeit. Revision der Philosophie*.



nisi in subiecto? Utcunque hoc sit, e studio in originem boni & iusti non minus quam veri & pulchri penetrandi, quod proprium est omnis veræ philosophiæ, nata est *disciplina moralis*: h. e. iurium & officiorum e principiis derivata doctrina.

§. 5. Quæ, quamdiu in universæ rei moralis elementis definiendis, ipsisque principiis ponendis occupatur, Wolfianam *Philosophiæ Practicæ Univ. r-salis* (b) appellationem servare commode possit. Ut vero diversa ex illis oriunda jura & officia descriptura est, in *Ethicam* ab it & *Juris Naturæ* disciplinam. Quarum hæc iurium stricte dictorum & vis externæ, qua illa defendere licet, illa officiorum omnis generis, quatenus interne obligant, ipsiusque animi honesta voluntate colenda sunt, doctrinam comprehendit (c).

Addunt

---

(b) V. Wolf *Philos. Pract. Univ. Francofurt. 1738.* Pertinet ad hanc disciplinæ moralis partem, quod de *Summo bono* sive de *Finibus bonorum & malorum* antiqui disputarunt, alio scilicet loco *De Officiis* agentes. Vide Ciceronis libros *De finibus bonorum & malorum*. Cf. Eiusdem *de officiis* l. 1. c. 3. Adde Garve *Ann. u. Abh. zu den Büchern von den Pflichten*. Breslau 1787. 1 Th. p. 10. *Æqua ratione Moralens philosophi a Moralem distinguunt*. Ceter. Boëthius: *Anvisning till Sedoid, an själam vetteflap*. Upsala 1707.

(c) Ratio & usus hujus distinctionis infra patebit. Cfr. KANT'S *Rechtsh. lehrre*. p. XIII, XXXI. *Tugendlehre* p. 2. 18. 48. 54. A. S. GRÆTER *Over Sammenhængen mellem Dygd, Årens och Retsfærens Princip*. Kiøbenhavn 1798.



Addunt nonnulli *Theologiam moralem*: hæc vero, si *revelata* est, ad *positivas* remittenda est scientias, si *naturalis*, partim ad philosophi in practicam universalem pertinet, quatenus scilicet & supremus legislator ac iudex in Deo, & remuneratio absolute iusta in futura quaerenda sunt vita; partim ad Ethicam, quatenus & de officiis in Deum & de motivis ad virtutem religiosam agitur, partim etiam ad juris naturæ disciplinam, quatenus de iuribus religionem & cultum divinum spectantibus quaestio movetur.

§. 5. Ex Ethica autem & Juris naturæ disciplina duæ aliæ exerunt scientiæ: *Pædagogica* scilicet, educandi hominis (non pueri tantum) doctrina, & *Politica*, civitatis administrandæ disciplina. Quæ morales quidem habendæ sunt, quatenus finis, cujus obtinendi scientiam docent, moraliter necessarius est, vel Juræ naturæ scilicet, vel Ethica præscriptus. Cum vero, id quod illis proprium est, modum tantum spectent, quo finis jam datus obtineri *queat*, rectius forte illas ad Technicum referas scientiarum genus, ad quod Medicina, Oeconomia, Didactica, Poëtica ceteræque pertinent (d). Technicam nempe scientiam

---

(d) Cfr. KANT I. F. C. C. *Die reine Geometrie hat Postulate als praktische Sätze, die aber nichts weniger enthalten, als die Voraussetzung, daß man etwas thun könne, wenn etwa gefodert würde, man solle es thun, und diese sind die einzigen Sätze derselben, die ein Daseyn betreffen. Es sind also praktische regeln unter einer problematischen Bedingung des Willens.* *Moralis autem regula sagt: man solle schlechthin auf gewisse art verfahren &c.* Critik der Practischen Vernunft. Riga 1792, p. 55.

tiam a morali distingvit, quod hæc *voluntatem*, illa *intellectum* tantum spectat, quod hæc ipsum *finem* quem quærere *debeas*, illa non nisi *adminicula*, quibus istum pro lubitu electum obtineri *possis*, tibi præscribit, quod hæc itaque officia, illa artem docet.

Observandum vero est: 1<sup>o</sup> multa quæ moralia sunt technica fieri, quatenus media finem præscriptum obtinendi respiciuntur: valetudinis e. c. cura e morali orbe in medicum transit; 2<sup>o</sup> id quod technicum est morale fieri, quatenus finis seu usus artis respicitur: carmine e. c. poëta moribus vel nocere vel prodesse potest.

§. 7. Respectu modi, quo tractatur Morum doctrina, in *popularem* dispescitur & *scientificam*. Illa ea tantum quæ ad usum proxime spectant, ita tradit, ut a multitudine percipi queant. Hæc, ex ultimis derivatum principiis, systema connectit unum & integrum.

Indubium quidem est plurimos illa sola imbutos, quin, sua tantum ratione & conscientia, quadantenus exulta & exercitata, ductos, honeste vivere (e). Scientiæ tamen moralis & per se summa est dignitas, & ma-

---

(e) πολλοὶ λόγον μὴ μαθόντες, ζῶσι κατὰ λόγον. Democrat. in Opusc. Mythol. Amst. 1688 pag. 6:7. Alius nempe est usus rationis philosophicus, quando mens ipsa se speculatur, alius popularis, quando in res vim suam exercet; hunc vero certiorum fieri, illo præmissis, quis jam dubitet?

& maxima cum in popularem institutionem, tum in civitatem & religionem efficacia. Illa enim, si vel in raris quibusdam ingeniis, antiquiori præsertim ævo fertilissimas e se ipsis quasi creantibus ideas, sola suffecit, in plurimis tamen doctoribus scientificam præsupponit eruditionem. Civitatis autem & religionis omnis pendet auctoritas a principiis illis justis & honestis, in quorum originem moralis inquirat scientia.

§. 8. Cum vero hæc, atque ex his oriunda jura & officia, vel in universum a priori definiri, vel ad peculiarem hominis, in terrestri sensibilium orbe versantis, naturam adaptari possint, in *puram & applicatam* omnem dividere solent scientiam moralem: illam etiam *Metaphysicam Morum*, hanc *Anthropologiam moralem* appellant.

Quod ne male intelligatur, hæc observanda sunt. 1:º Omnem quidem scientiam puram, (moralem similiter ac mathematicam) experientia præcessit, quæ & mentem ad cogitandum excitavit & materiam præbuit cogitandi. Sic rotunda observata sunt objecta, ante circuli notionem formatam. Sic cædes patrata est, ante juris & officii, vitam hominis spectantis, descriptionem. Male tamen inde colligas, id quod hæc notiones universales continent & necessarium, sensibus esse perceptum, nullosque fieri posse conceptus a priori, ideoque nullum esse inter scientiam puram & applicatam discrimen.

2:º Ab hominis quidem conscientia exit, & ad hominis vitam se refert omnis morum doctrina. Facile tamen  
B  
liquet



liquet, puram illam in orbe *Metaphysico* versari, applicatam vero in *Anthropologia* fines excurrere. Hæc scilicet, strictiori sumta sensu, de homine agit, primum qualem natura eum fecit, deinde qualem ipse se sua sponte præstare solet, cum in genere tum in individuo consideratur. Quapropter in *physicam* & *historicam* dispelci commode posse nobis videtur. Illa Somatologiam, Anatomia & Physiologia innixam, & Psychologiam Empiricam nec non Naturalem hominis historiam complectatur. Hæc & totius generis Moralem narret historiam, & diversarum gentium atque individuorum describat mores & ingenia. Utraque igitur ministrat Morum doctrinæ maxime utilis & apta. Latiori autem sensu intellecta, Anthropologia tertiam adhuc comprehendere possit partem, *moralem* scilicet, quæ, finem generis humani ostensura, & generalem describat hominis perfecti ideam, & speciales viri, scæminæ, juvenis, senis, parentis, filii, patris- & matrisfamilias, fratris, sororis, civis, militis, principis, &c. &c. imagines depingat. Hæc igitur Anthropologiæ pars ad applicatam morum doctrinam proxime accederet: puram vero sive Metaphysicam Morum præsupponeret (f). Ita quidem in eundem conveniunt locum Anthropologia & Morum doctrina, e diversis tamen profectæ principis, illa ex eo quod *est*, hæc ex eo quod *debeat* esse, illa

---

(f) Cfr. JOH. ITH Anthropologie, I Th 2te Auflage, Winterthur 1803. p. 57 sqq. KANT Anthropologie in pragmatischer Hinsicht, Königsberg 1800. Vorrede IV. AUG. W. TAPPE Ueber den Ursprung, Begriff und Werth einer gründlichen Anthropologie. Bei Gelegenheit des öffentlichen Examens am Kayserl. Gymnasium zu Wiborg. Quorum KANT *Physiologicam* tantum & *Pragmaticam*, ITH *Physiologicam*, *Psychologicam*, *Historicam* & *Moralem* sive *Teleologicam*, TAPPE *Theoreticam* & *Practicam*, (hæc in generalem specialem & individualem divisa, universali autem sub theoreticam relata) distinguit Anthropologiam.

illa e *sensibili*, hæc ex *ideali* orbe, illa e *theoreticæ*, hæc e *practicæ* philosophiæ fontibus.

§. 9. In tironibus igitur docendis minime quipem negligenda est distinctio illa in puram & applicatam; vix tamen adeo stricte tenenda, ut non ex una in alteram transgredi vel utramque connectere liceat. Nobis saltem ad consilium nostrum aptissime fieri visum est, si notiones *libertatis*, *legis*, *judicii* & *remunerationis* a priori definitas, ad hominem ejusque voluntatem & actionem, ut *subjectum* & *objectum* earum in hoc terrestri, quem nos novimus, ordine rerum, mox referremus: ita & clariorem & ad animos juvenum movendos aptiorem reddituri doctrinam, metaphysico-anthropologicam.

Ut vero illis mox liqueat, non in vanis venandis umbris se fore occupatos, sed in re apprehendenda, quæ & ad omnes pertinet homines, & omni tempore a doctissimis & sagacissimis viris disquisita est & tractata: historiam præmittamus, & rei moralis, & doctrinæ de illa, brevissimam.

### Cap. III.

#### *De origine & progressionem rei moralis.*

§. 10. Quidquid de *principiis* rei moralis philosophi, scientiam ejus constructuri, in contrarias di-

sputaverint partes: ipsius *facti*, quo illa pro data ponitur, imputationis scilicet, cum in animis, tum in vita hominum communi fieri solitæ, vel *veritatem* historicam vel *necessitatem* practicam nemo unquam negavit.

Quod ad veritatem primum attinet, hæc in hominibus omni loco & tempore observata sunt. 1:0 Injuriam, ab aliis ratione & libertate utentibus sibi illatam, eodem haud ferunt animo, quo damnum sive a re inanimata sive a bestia factum: sed criminantur illos & ulciscuntur; suam vero injustitiam juris specie prætegere student. 2:0 Non facinora tantum, sed mores etiam aliorum, etsi se nullo modo spectent, vel laudant vel vituperant, ipsosque vel suspiciunt vel contemnunt atque fortuna sua vel dignos vel indignos æstimant. 3:0 Ipsi se accusant & judicant: nunc pœnitentia, pudore, metu afflicti, nunc animi sui se approbantis, consolantis, exhortantis testimonio beati. 4:0 Religiosa fide æternam supremi numinis justitiam aut metuunt aut sperant.

Quæ omnia, *judicii ac remunerationis* ideam continentia, & *libertatis* hoc vel illud volendi agendique, & *legis* hoc præcipientis, illud prohibentis, sensum in homine præsupponunt, ab objectiva sui ipsius ut personæ apprehensione sive conscientia (*medvetande*) inseparabilem, ideoque etiam eodem nomine *conscientiæ*, appellatum: practicæ vero seu moralis epitheto a  
theoretica



theoretica illa distinguendum (*Sanvete* illum *Sveci* dicunt).

§. II. Quod deinde necessitatem facti hujus spectat: sublata imputatione, velisne in hominum vivere societate? possit ne ulla consistere civitas, ullum pactum, ullum consortium? Aut si spectatorem tantum rerum humanarum agas: inveniasne in mundo physico solo finem, in quem providentia divina genus mortalium ratione ornaverit & libertate? Inutilibus sane donis nisi in dignitate morali, illamque demum secutura felicitate, summum esset hominibus quærendum bonum, summa petenda meta! Alias "eam dedisset hominibus rationem, quæ vitia culpamque excluderet" (g). Religio autem, morali ejus parte ablata, quid foret? Aut superstitio absurda & turpis, aut theorema mere physicum vel si mavis metaphysicum.

Tantum quidem sublimi illi de globo centrali, omnes soles, omnia planetarum & cometarum systemata, omnes vias lacteas & nebulosas circum se gyrante hypothesi, idea Spiritus infiniti, universum creantis & regentis, semper præstabit, quantum corpori animus præstat. Sublatis autem bonitate, justitia, sanctitate divina, quæ, si moralis tollitur hominum conscientia, nullum habent fundamentum: personificatio illa naturæ & fortunæ in  
Deo

---

(g) Cic. De Nat. Deor. III. 31.

Deo facta, vix aliam quam facti, antiquis crediti, gigantea iuugo in animos mortalium exfereret vim: aut metu illos in humum deprimeret, aut ad Titanum & Promethei rebellem efferret audaciam. Verbo, vel usum tantum vitæ quotidianæ, vel finem generis humani, vel principium universæ naturæ respicias: necesse tibi erit moralem statuere mundum, a te ipso oriundum, omnem vero spatii & temporis immensitatem ideis boni, honesti, perfecti comprehensurum.

§. 12. E duplici igitur fonte res moralis, inter homines semper & ubique solemnis, originem suam ducit: 1:o e conscientia libertatis & legis in quovis rationis compote indubia; 2:o e necessitate iudicii & remunerationis tam humanæ quam divinæ, æque clara & certa. Com vero & lex & iudicium sine notitia agendorum & non agendorum nihil valeat; omnis autem notitia vel observationi debeat vel meditationi: facile constat, *cultura* opus esse ut ceterarum, sic moralium in homine facultatum.

Hanc fere fuisse rei moralis, a primo usque e feritate in humanitatem nisu cum religione connexæ, progressionem, credere licet (b).

Initio

---

(b) Historiam rei moralis, s. e. & notiorum popularium de turpi & honesto, & virtutum & vitiorum diversis locis temporibusque dominantium, plenam & perfectam qui tractaverit, nemo nobis innovit. Cfr. autem scriptores historice hominis moralis: e c. Is. ISSERLIS Ueber die Geschichte der Menschheit. I, 2 Th. I. G. HERRER Ideen zur Philosophie der Geschichte der Menschheit, HENRY HOME

Initio quod quisque sibi *jucundum & utile* expertus erat, id solum approbavit, nullum fere inter physice & moraliter bonum faciens discrimen. Timuit tamen & coluit, interdum etiam reprehendit & punit certam quandam naturæ vim aut ejus symbolum sive brutum sive manu factum (Fetissam vocant). Cui scilicet suam tribuit indolem moralem, ipse vel ad nocendum, vel ad benefaciendum, sensuum tantum impulsu commotus, eoque melior sibi visus, quo *ferocior esset & astutior*.

Cum tamen in societate mox viveret (i), in familia nempe natus: naturalem in suos *benevolentiam* amor sexuum stirpisque & sanguinis, sympathia, mutuum auxilium, utæque vivendi consuetudo, vel in Anthropophagis genuerunt, sæpe tamen cum incredibili in feminas, infantes, senes omnesque infirmos crudelitatem conjunctam. In familia vero, uno alterum lædente, vel pluribus idem cupientibus, aut pugna victoriaque dirempta est lis, aut discesserunt e familia unus in orientem alter in occidentem, aut pater familias jus dixit, suum cuique tribuens. Sic injuria & æmulatione atque res tuto possidendi necessitas primam genere *justi & injusti* distinctionem; seniorumque, sapientiorum & fortiorum auctoritas, vatum oraculis prodigiisque, puerili hominum rudium phantasiæ acceptissimis, munita, consuetudines & leges instituit, quibus *jura* cujusque in societate viventis descripta sunt & conservata, quarumque tutela & vindicatio

(Lord KAIMES) *Essay on History of Man* (Germanice Leipzig 1783) Vol. I & 2. AD. FERGUSON *Essay on the History of Civil Society* KARL H. L. PÖLITZ *Geschichte der Kultur der Menschheit*. Ceterum historias vide gentium diversarum, itinerum descriptiones, nec non poemata, quibus ævi cujusdam mores describuntur.

(i) V. FERGUSON l. c. P. I. Sect. 1.



vindicatio Diis tributa est, quos jam e Petiſſis in Penates, Lares, totiusque gentis (cognitione, usu & religione primum in gregem Nomadum (*hord*) deinde in civitatem agriculturalium confociatæ) patronos, sanior & humanior mutaverat superstitio. Vix vero aliis, quam qui in una viverent societate, vel aliquo saltem pacto inter se conjuncti essent (*επιστροφος* apud Græcos), ullum competere jus credebatur: hospitis etiam jure, quod barbaris sanctum esse solet, e tacita quadam conventionione derivato: nec ulla cognita in Deos ipsos obligatione, nisi e foedere cum illis inito proficiscente. Hæc vero Justitiæ species socialis & civilis adeo culta est, ut infinitum fere vindictæ cum humanæ tum divinæ favorem poscere crederetur. Exempla sunt *Goel* Hebræorum & Arabum, *Eumenides* & *Nemæſis* Græcorum.

Cultior autem, artiumque scientiarum & commerciorum flore ornata hominum vita & societas, non potuit non efflicere, ut præter utile & justum, id etiam, quod in moribus esset temperatum & decorum, in animo humanum & generosum, magni æstimaretur. Præcipue tamen in factis, quæ communi inservierunt bono, virtus eminebat: summaque erat laus pro aris & focis se devovisse.

Perfecto tandem & civili ordine & ingenii cultura, vel ratio purior, vel mens diviniore, aliquid esse omnino & per se honestum decrevit, quo, non in externis tantum actionibus & moribus apparituro, sed ex intimo animo oriundo, nec in cives tantum & socios, sed in peregrinos & hostes, in omnes rationis compotes, quin in bruta animalia exercendo, sanctissimum quod omnia regit numen, vere colatur.